

05

A

2214



A

M



DISPUTATIO TERTIA
DE
Affectionibus Entis in genere & in
specie de Uno,

Quam
P R Æ S I D E
MICHAELE WENDELERO

D. PP. & p. t. Decano,

publicè proponit

FRIDERICUS VICCIUS, Silesius

*Ad diem 20. Martij,
loco & horâ solitâ.*

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.
ANNO M DC LII.

DISPUTATIO
DE
Atheionibus suis in genere & in
specie de Uno
MICHAEL WENDELERO
D. P. M.
ERDBERG
loc. edit. 1714



05 A 2274





Theses I.

Ens habet affectiones, non quidem strictè dictas, sed analògas. Nam Unum, Verum, Bonum demonstrantur de Ente. Quidquid autem demonstratur, illud est affectio. Aristot. 5. Metaphys. dicit, *esse quandam scientiam, qua speculatur ens, & qua ei per se insunt, hoc est affectiones.*

2. Sunt, qui duplex demonstrationis genus in Metaphysicis adhiberi posse censent, scilicet deductionem ad absurdum, & demonstrationem à priori; illam simpliciter, hanc non nisi cum cautela & cujusdam analogiæ positione. Illius principium est illud vulgare: *impossibile est, idem simul esse & non esse*; hujus verò principium, analogicè dictum, est ipsa essentia. Nam ut aliæ scientiæ subjectorum suorum affectiones demonstrant per singulas essentias; ita etiam Metaphysica affectiones Entis demonstrat per essentiam Entis.

3. Demonstratio à priori est inter res realiter diversas. Ens autem cum nec principium habeat, nec affectiones entis realiter differant ab ente; ideoque termini demonstrationis hoc in loco realiter sunt idem. Ergò qualis est natura rei, talis etiam est ejus demonstratio.

4. Affectio propriè est id, quod non est ipsa essentia subjecti, sed aliquid essentiæ superadditum, hincque realiter ab ipso subjecto distinctum. Quo sensu attributa propriè non sunt affectiones, sed juxta analogiam saltem ad modum affectionis concipiuntur.

A

5. Alii

5. Alii eundem terminum ampliant, & ad naturam affectionis sufficere contendunt: 1. quando id, quod dicitur affectio, reverà subjecto inest. 2. Quando subjectum proximè consequitur, nec tamen ab ipso semper realiter differt, sed saltem conceptibiliter. 3. Quando idem cum subjecto reciprocatur. Hoc modo Entis attributa, sine absurditate, proprias affectiones vocare possumus.

6. Sunt autem affectiones Entis attributa, quæ Ens sequuntur, idque per se & necessariò denominant. Nam Substantiis & Accidentibus sunt communes, imò ipsi Enti conveniunt, ita ut suâ latitudine tum Substantias, tum Accidentia transcendant, non nobilitate, sed communitate essendi & prædicandi; Vox attributi cum sit latior, hinc generis loco ponitur. Altera vox Differentiam involvit. Nam si Ens quiddamativa haberet attributa, id ipsum non denominarent.

7. Materiale affectionum est ipsum Ens, seu Essentia, quæ intrinsecus est in omnibus. Formale est peculiaris conceptibilitas, quam sibi propriam vindicat quælibet Entis affectio, & per quam ab aliis distinguitur. Quæ formalitas non est res positiva, sed entis positivi attributum. Nam nihil positivi superaddunt Enti, hoc est, non novam essentiam, sed unam atque eandem simplicem essentiam aliter atque aliter modificant. Sunt tamen reales & positivæ, cum Enti non affingantur.

8. Hinc ab Ente non distinguuntur realiter; quia nullam in Ente compositionem faciunt: sed vel formaliter & ex naturâ rei, secundum quosdam, vel ratione ratiocinata, ut alii volunt, vel modaliter, sicut aliorum est sententia. Sed quia **Distinctio Formalis, Modalis & Ratio,**

Rationis Ratiocinatae ferè sunt Synonyma; ideò hi auctores verbis tantùm discrepare videntur.

9. Affectiones distinguuntur variè. Nam I. sunt vel *Essentiales*, quæ nexû essentiali insequuntur Ens, ut *Unitæ* & omnes *Disjunctæ*, quas *Primarias* appellant; vel *Accidentales*, quæ accidentaliter & certo modo Enti, quatenus Ens est, conveniunt. II. Vel *Unitæ*, quæ in sensû unito de Ente dicuntur, ut *Unitas*, *Veritas*, *Bonitas*; vel *Disjunctæ*, quæ in sensû disjuncto de Ente pronunciantur, ut *Necessarium* & *Contingens*; *Principium* & *Principiatum*; *Actus* & *Potentia* atque alia. III. Vel *Primariae*, quæ omni Enti conveniunt primariò; vel *Secundariae*, quæ secundariò. *Primariae* iterum vel *Immediatae*, quæ immediatè de Ente prædicantur; vel *Mediatae*, quæ ex primis oriuntur, & aliis mediantibus conveniunt Enti.

10. Affectiones Entis *Unitas* esse tres, nec plures, nec pauciores, scilicet *Unitatem*, *Veritatem* & *Bonitatem*, ex communi consensû & contrariorum argumentorum solutione constat. Sunt, qui addunt *Existentiam*, *Durationem*, *Rem* & *Aliquid*, *Ubi*, *Intelligibile* & *Amabile*, seu *Appetibile*.

11. Nos dicimus, *Existentiam* esse Synonymum Entis, *Durationem* verò, secundum *Scheiblerum*, affectionem Entis actû, adeoque inadæquatam. Alii respondent, *Durationem* esse certum Entis genus, quod constituat Prædicamentum *Quando*. Si autem in Deo consideretur, eandem, dicunt, non distingui ex naturâ rei ab *Existentiâ*. Nonnulli addunt, *Durationem* non competere omni Enti, e. g. instantaneæ actioni.

12. Res & Aliquid sunt Synonyma Entis. Omnis autem passio, seu affectio, adjectivè debet conjungi cum suo subjecto & denominativè dici. Ubi non convenit Deo. Tandem intelligibile ad amabile referri debet, atque amabile ad bonitatem. Nos addimus, quòd intelligibile unà cum appetibili per extrinsecam denominationem competat Enti. Hic autem loci affectiones, quæ Enti per se infunt, quærimus.

13. Unitas est affectio Entis unita, secundum quam Ens in se est indivisum, & divisum à quolibet alio. Materiale est ipsa Entitas, seu Essentia, quæ essentialiter implicatur in Uno, seu Unitate. Ratio Formalis consistit in indivisione, quæ non est accidentalis, sed essentialis, seu Entitativa, ita ut formale Unitatis sit indivisio essentialis, seu Unitatis.

14. Hæc autem Indivisio quid sit, verbis vix exprimemus. Non est privatio, nec pura negatio, nec res privativa, sed realitas, seu ratio aliqua conceptibilis in Ente, quâ Ens in se & in suâ propriâ essentiâ est unum, & non divisum esse intelligitur, adeò ut, si Unitas tollatur ab Ente, simul ipsum Ens tollatur, & vel in nihilum, vel in plures alias essentias abeat.

15. Unitatis consequens necessarium est Divisio ab omni alio, quod in rerum naturâ existit. Sic Deus quia habet essentiam indivisam, est unus; seu quia in suâ essentiâ non est divisus. Homo dicitur unus, quando non est divisus; sed quando fit dissolutio animæ à corpore, accidit divisio, & Ens quasi distrahitur, ita ut amplius non sit ens unum, sed entia. Item domus quædam, in diversas divisa partes, ita ut tectum separetur à parietibus, & hi sejungantur à fundamento, non manet domus, seu Ens unum, sed fiunt Entia.

16. Di-

16. Distinguitur in id, quod per se, & quod per acci-
dens tale dicitur. Quæ divisio cum Ente per se, & Ente
per accidens coincidit. Nam ut Ens est: ita etiam est ejus
Unitas. Quod per se est, per se unum quid est, quod per
accidens est, per accidens unum est.

17. Unum per se modis, præcipuè sequentibus, di-
stinguitur. Nam Vnum per se 1. vel est *Transcendentale*,
vel *Individuale*. 2. Vel *Indivisum Indivisibile*, vel *Indi-
visum Divisibile*. 3. Vel *Formale*, vel *proprii Suppositi*. 4. Vel
Numericum, vel *Universale*. 5. Vel *Continuum*, vel *Conti-
guum*. 6. Vel *Ordinis*, vel per *Æquivalentiam*.

18. Vnum Transcendentale omnia prædicamenta
transcendit, & tam de Ente universali, quàm singulari
dicitur. Quæ Unitas est sola hujus loci. Individuale ve-
rò reperitur in omni Ente singulari, & est Unitatis Tran-
scendentalis fundamentum. Sic Petrus, hæc arbor, hic
lupus, hæc albedo sunt Individua, quorum quodlibet
dicitur Vnum Unitate suâ Individuali.

19. Vnum Indivisum Indivisibile [nonnullis *Unum
simplex*] in se & suâ naturâ, neque actû, neque potestate
divisionem admittit. Quale est solus Deus, qui in se &
suâ naturâ simplicissimus actus est, nec quicquam com-
positionis habet. Angeli verò & formæ abstractæ dicun-
tur indivisa indivisibilia non per se, sed secundum quid,
scilicet quatenus essentialiter non possunt dividi in par-
tes alias atque aliàs.

20. Indivisum Divisibile [aliis *Compositum*] actû qui-
dem est indivisum & unum, dividi tamen potest in par-
tes illas, ex quibus componitur. Quæ Unitas competit
omni creato, quod actû unum est, potestate verò mul-
tum. Sic angelus in se est unus & indivisus, potest ta-
men

men dividi in partes, hoc est, in Subjectum & Accidens,
homo in partes accidentales & essentielles.

21. Vnum, seu Vnitas Formalis est, quâ alicujus rei
essentia, in se & abstractè sumta, nullo habito respectû
ad statum existendi, una dicitur. Sic essentia equi, in se
sumta, absque respectû ad hunc vel istum equum, est
una unitate formali. Sic humana Christi natura quia
non per se, & in se subsistit, est una unitate formali.

22. Vnitas proprii Suppositi est, quâ res una dicitur
propriâ Subsistentiâ. Sic Paulus & Petrus habent unita-
tem proprii suppositi, cum essentia hominis, seu huma-
na natura, in illis propriam Subsistentiam obtineat.
Contrâ humana Christi natura non est una unitate pro-
prii Suppositi; quia non in se, & per se, sed in λόγῳ subsi-
stit, licet una sit unitate formali, seu essentiæ.

23. Vnitas, seu Vnum Numericum, est unitas Indivi-
dualis & Singularis, qua dicuntur unum, quorum res &
ratio eadem est, seu, quorum una & eadem est Definitio.
Sic Aristoteles & Stagirita sunt unum numero, seu uni-
tate numericâ. Ita vestis & vestimentum sunt unum.

24. Vnitas Numerica est vel *Transcendentalis*, vel *Præ-
dicamentalis*. Illâ res Transcendentales & eminentes di-
cuntur unum; hæc prædicamentales & corporeæ. Ita
Pater, Filius & Spiritus Sanctus sunt una numero essen-
tia Transcendentaliter & eminenter; quia nihil hîc est
materiale, seu corporeum; sed Deus est Spiritus, in quo
numerus prædicamentalis, seu quantitativus, nullum
locum invenire poterit.

25. Vnum Vniversale est, quod unitate universali est
indivisum, ita tamen, ut sub eodem nomine in res plu-
res similes dividi possit. Sic animal, utpote unum uni-
versa-

versale, in equum, leonem, canem & cætera animalia dividi potest.

26. Est vel *Univocum*, vel *Analogum*. Univocum pluribus æqualiter attribuitur; estque omne id, quod propriè in prædicamentis continetur, & rationem vel Generis, vel Speciei, habet. Sic homo est unum Universale Univocum; quia æqualiter pluribus attribuitur, ita ut habitudo termini humanitatis in his ubique sit eadem, nec alteri magis, alteri minùs competat.

27. Idem distinguitur in *Unum Genere*, & in *Unum Specie*. Vnum Genere dicuntur, quæ idem habent Genus, sed oppositas Differentias. Sic homo & leo sunt unum Genere, quia conveniunt animalitate, & differunt oppositis Differentiis, nempe rationalitate & bestialitate. Sic omnes Species Genere sunt unum.

28. Vnum Specie dicuntur, quæ eandem habent essentiam specificam, sed numero diversam. Hinc specie sunt unum, numero verò multa. Sic omnia Individua sunt unum Specie, quia de unâ eademque naturâ specificâ participant; quamvis quodlibet Individuum in se & per se suam, distinctam numero, essentiam obtineat.

29. Vnum Universale Analogum, seu per Analogiam est, quod pluribus inæqualiter secundum prius & posterius tribuitur. Propter hunc Vnitatis modum res plures dicuntur unum analogiâ, sive per analogiam. Sic Ens est Vnum Universale Analogum; quia pluribus, scilicet Substantiæ & Accidenti inæqualiter attribuitur. Nam Substantia primariò est Ens, Accidens secundariò & propter Substantiam. Hinc Substantia & Accidens quia conveniunt cum uno analogo, nimirum Ente, unum per Analogiam dicuntur.

B

30. Vnum

30. Unum Continuum est, quod partibus, per continuationem punctorum unitis, constat, sive ista continuitas fiat naturâ, sive arte. Ita cœlum, aquæ in uno flumine, tibia & femur in homine sunt unum natura; quia per naturalem unionem combinantur. Contrâ Vnum sunt continuitate artificiali plures asseres in mensâ.

31. Unum Contiguum est, quod alicui continuum est, non ut pars, sed ut aliquod simile extrinsecus assistens. Sic navis & nauta sunt unum contiguum; quia hæc duo non, ut partes, constituunt intrinsecus unum Continuum, sed extrinsecus tantum unum alteri aptatur, cumque eodem aliquam convenientiam fovent.

32. Vnum ordinis hic loci dicitur, quo res qualibet suum statum & ordinem, ab aliis verè distinctum, obtinet. Nam Deus & natura ut abhorrent ab omni confusione: ita etiam nihil inordinatum produxerunt, vel adhuc producunt. Hoc sensû omnis omninò res dicitur una unitate ordinis.

33. Vnum per æquivalentiam est, quando res duntaxat mutatur circa partes, eadem verò manet secundum continuum totum. Sic Dantibus dicitur unus per æquivalentiam; quia mutatur solum secundum partes aquæ, quæ quotidie præterlabuntur: sed in istâ mutatione fluvius manet idem secundum suum totum continuum, hoc est, non fit alia res, sed eadem est res numero, quæ antea erat, idem retinens nomen, figuram & situm.

34. Vnum per accidens est, quando res plures, realiter diversæ, simul conjunguntur, & accidentaliter fiunt unum. Pro diversitate exemplorum tres constitui possunt

sunt modi. Nam Vnitas per accidens est vel Loci, vel Subjecti, vel Ordinis.

35. Vnitas loci est, per quam plura in unum locum aggregantur. Sic cervus tritici dicitur unus per accidens ob unitatem loci; quippe ex pluribus granis, in locum unum aggregatis, componitur.

36. Vnitas Subjecti est, quâ plura in uno Subjecto per accidens uniuntur. Ita Philosophia & Theologia sunt unum per accidens in homine, in quo, tanquam in uno Subjecto, Theologia & Philosophia, ut plura, per accidens uniuntur.

37. Huc referunt Vnitatem Suppositi, quæ est accidentaliter plurium naturarum in uno Supposito unio. Sic ferrum & ignis, aurum & argentum, in uno poculo sunt unum unitate suppositi; quia accidentaliter in uno Supposito uniuntur. Indè ferrum dicitur ignitum, & poculum aureum. Est autem hic sedulò cavendum, ne cum hac Vnitate confundas illam, quàm proprii Suppositi suprâ diximus.

38. Vnitas ordinis hîc dicitur, quando multa, simul sumpta, tantùm ad unum ordinantur, ita ut aliàs nihil sibi conferant. Ita multi milites sunt unum unitate ordinis, quatenus ad unum ducem ordinantur.

39. Vni contradictoriè opponitur non-Vnum. Nam cum omne Ens sit Vnum, ita ut Vnitas sit affectio Entis unita ac simplex; ideoque id, quod Vnitati opponitur, erit non-Ens.

40. Cum doctrina de Vno conspirant Vnio & Multitudo, seu Multum. Vnio est conjunctio plurium diversarum rerum, facta ad constituendum Vnum. Exempla ad varietatem Vnionis variant.

41. Est vel *Realis, vel Rationis, vel Verbalis*. Reali Vnionem plura verè & propriè fiunt unum; & considerari potest vel in genere, vel in specie.

42. Vnio Realis in genere considerata, est vel *Interna, vel Externa*. Vnionem Interna res unitæ intrinsecus inexistunt, seseque intimè permeant. Ita inter Materiam & Formam est Vnio Interna, cum sint unitæ intrinsecus in corpore naturali inexistentes, seque mutuò permeantes.

43. Vnio Externa est, quæ res una alteri forinsecus adiungitur; qualis unio est inter sellam & hominem, equum & aurigam. Hanc vocant propriam. Nam datur Vnio Externa, impropriè ita dicta, quæ contingit, quando aliquis tantum datur respectus inter res unitas, sive id fiat per consensum mentis & voluntatis, qualis Vnio est inter amicos; sive in societate civili inter Magistratum & Subditos; sive Oeconomicè inter Maritum & Vxorem; sive spiritualiter inter Christum & fidelem animam.

44. Vnio Realis, in specie considerata, est vel *Essentialis*, quæ est inter partes essentielles, unam essentiam constituentes; vel *Suppositalis*, inter res unitas, unum constituentes Suppositum; vel *Accidentalis*, inter res, accidentaliter unitas, unum per accidens constituentes, sive id fiat per missionem multarum specierum, sive aggregationem, sive per aliam aliquam externam contingentiam.

45. Vnio Rationis est, quando plura per operationem mentis uniuntur & componuntur, extra quam aliàs nihil sunt. Ita mons aureus componitur à nostro intellectu ex monte & auro. Quæ Vnio dicitur *Rationis,*

nis, cùm præter mentis fictionem in ipsâ re non
detur.

46. Vnio Verbalis est, quando vox saltem alicui tri-
buitur, non verò res ipsa propriè, sub voce significata.
Quo sensù homo bilosus vocatur canis; ubi inter ho-
minem & vocem canis est Verbalis Vnio. Nam homo
non est res ipsa, per vocem canis propriè significata, scili-
cet animal irrationale & latrans.

47. Ex Vnionem resultat Ordo, qui est rerum
unitarum secundum prius & posterius concinna
dispositio & collocatio. Qualis Ordo datur simpliciter
in omnibus unitis per se, ut hætenus ex distinctionibus
Vnius & Vnionis ejusdemque exemplis innotuit.

48. Multum non opponitur Vnitati Transcenden-
tali, sed cæteris Vnitatum modis. Hoc modo per Multi-
tudinem non tollitur omnis Entitas, sed cum Vnitate
hæc Entitas, id est, certa aliqua. Ita Multitudo Vnita-
ti, seu Multum Vni, privativè opponitur. Dn. D. Jaco-
bus Martini in Part. & Exercit. statuit, quòd hæc Oppo-
sitiō quodammodo sit Contraria, quodammodo Priva-
tiva.

49. Sensù posteriori sumpta describi solet hunc
in modum: *Multitudo est divisio rerum, per quam Entia
multiplicantur, & inter se sunt divisa.* Hinc Multitudo
est id, quod actû divisum est. Sic Andreas, Paulus & Jo-
hannes sunt multi homines; quia Paulus actû divisus est
ab Andrea & Johanne, adeoque multiplicantur Entia.

50. Multa variis modis dicuntur, prout divisio re-
rum est aliâ atque aliâ. Ita 1. multa sunt numero, quæ
singularitate essentiarum sunt distincta, ut plura Indi-
vidua. 2. Multa sunt genere, quæ diversorum sunt gene-

rum, ut homo & doctrina. 3. Multa sunt specie, quæ genere quidem conveniunt, sed formis specificis distant, ut homo & equus. 4. Multa sunt analogiâ, inter quæ nulla est Proportio, & similitudo, ut vestis & asinus, Angelus & baculus.

51. Alio modo Analogiâ, seu Analogicè, multa dici possunt illa, quæ unam habent essentiam & ob peculiarem subsistendi modum inter se distinguuntur. Qualis pluralitas est eminenter in personis Deitatis, minimè verò in essentiâ. Nam Deus, qui in suâ essentiâ maximè unus est, in multitudine tamen personarum se nobis revelavit. Unde unum Deum & res personas credimus.

52. Quanta ex membro præsentis resultent commoda, verbis explicari nequit. Unum atque alterum producam, quomodo Unitatis confundantur modi, & quomodo Sophistæ ex doctrinâ de Uno profligari feliciter possint. Nam I. notum est illud: *Quidquid est, illud est unum*: *Duodecim sunt: Ergò duodecim sunt unum*. Major loquitur de Unitate Transcendentali, minor de Unitate Numericâ. Hinc quatuor emanant termini. Potest etiam concedi, si utrobique Unitatem Transcendentalem urgeas. Nam & duodecim sunt unum Unitate Transcendentali.

53. II. Passim occurrit sequens: *Quidquid est indivisibile, illud est Deus: Angelus est indivisibilis: Ergò angelus est Deus*. Dicimus, quòd hic confundatur Indivisibile, quod simpliciter tale est, cum eo, quod dicitur secundum quid indivisibile. Major agit de Indiviso simpliciter Indivisibili, minor de Indiviso Divisibili.

54. III. Obvium est hoc: *In Christo sunt due nature singulares: Ergo etiam sunt due persone. Antecedens patet: quia*

quia divina Christi natura est una essentia singularis, & hu-
mana est una singularis essentia. Respondemus, confun-
di Vnitatem Formalem cum Vnitate proprii Suppositi.
Nam humana natura in Christo, non est unitate proprii
Suppositi determinata, sed est una Vnitate Formali. Hæc
autem Formalis Vnitas per se non infert singularem exi-
stendi statum, nempe vel Suppositum, vel Personam.

55. IV. Constat etiam, quod subjicim⁹: *Deus & creatura
participant de quibusdam attributis: Ergo Deus & creatura
sunt æquales.* Minor probatur; quia Deus est substantia,
& homo est substantia: Deus est justus, & homo est ju-
st⁹. Resp. cōfundi Vnum Analogum cum Vno Univoco.

56. V. Neminem præterit sequens: *Tres personæ desi-
gnant tres essentias: Pater, Filius & Spiritus Sanctus sunt
tres personæ: Ergo designant tres essentias, & per consequens
sunt tres Dii.* In hoc dicimus confundi Prædicamenta-
lem numerum cum numero Transcendentali.

Adjectanea.

I. *Num verè unum sint, quæ Definitione, tempore, aliisque mo-
dis differunt?* Bezae aliorumque thesis est, Baptismum, *συνόλωσ*
sumtum, semper esse, & manere unum, licet *κατὰ μέγεθ*
sit duplex & geminatus. Hanc exceptionem nosti ut di-
luant, hanc præsentem producant quæstionem, cu-
jus affirmativa ab omnibus defenditur. Nam ubi est duplex
Definitio, ibi duplex est Essentia. Ubi hæc, ibi non est Ens
unum, sed duo Entia, cum ab Essentiâ Ens suam ut habeat
constitutionem, ita etiam distinctionem. Ita quæ tempore
differunt, sejuncta sunt, & unum absque altero esse potest.
Hinc sequitur, quod duo, & non unum sint. Idem iudicium
sit deus, quæ differunt Efficientibus, Effectis, Objectis & Sub-
jectis.

II. *An ex Unione fluat vera & mutua unitorum præsentia?*
Nostri omnibus Unionum exemplis affirmativam probant.
Anima

Anima quia arctissime cum corpore est unita; ideoque sibi
mutuò sunt præsentia. Talis unio cum etiam inter ignem
& ferrum, inter materiam & formam detur; ideoque etiam
talis unitorum præsentia. Nam Unio est rerum conjunctio.
Hinc quò major unio, eò major est conjunctio. Vera autem
conjunctio veram unà importat præsentiam. Quod tam cer-
tum est, ut etiam realem sine præsentia conjunctionem cogi-
tare non possimus. Hinc nostri Theologi rectissime colli-
gunt: λόγος & assumpta humanitas quia arctissime uniuntur;
ideoque sibi in vicem præsentissima, ita, ut nullibi sit unitorum
unum, ubi non sit alterum.

Ad

Dn. Respondentem, optimi ingenii &
raræ diligentia studiosum.

Cum benè continues Musas magnosque labores;
Ausis hinc superas pectora mille tuis.
Si non respondent magno sua dona labori;
Tu tamen es major nobilitate tuâ.

Præses.

Ad Per-Eximium DN. Respondentem
Phil. Candidatum.

Ut matuta diem prævertit, fumus ut ignem,
Lucta Magistrandum loquitur sic publica doctum
fruge Stagiræa decoctos publicus esus
sistis, quæque *Entis* sit vera affectio, monstras.
Unum audi, de uno meditans *Doctissime Vicci*,
una mente Tui celebris, Sectare recessus
Præsidis exactos, nec enim dedit omnibus unum
natura ingenium; astuti sic lingua Sophistæ
nil nocitura Tibi, mentis mox sensa sequetur.

M. Christianus Weber.

ibi
em
am
io,
em
er
gi-
li-
ur;
im

05 A 2214

ULB Halle 3
003 783 863




VD 7

Bl.







DISPUTATIO TERTIA
DE
Affectionibus Entis in genere & in
specie de Uno,
Quam
P R Æ S I D E
MICHAELE WENDELERO
D. PP. & p. t. Decano,
publicè proponit
FRIDERICUS VICCIUS, Silesius.
Ad diem 20. Martij,
loco & horà solitâ.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.
ANNO M DC LII.